

P R Æ F A T I O.

considerandus occurrit : singula singu-
lorum statuum considerationes, suos nobis
peculiares Locos Theologicos suppeditant.
Sunt autem Quatuor omninò Status ho-
minis, in quibus ille à prima creatione, usq;
ad beatam in cœlis futuram glorificatio-
nem contemplandus est. Quorum primus
est Status Integritatis ante lapsum. Secun-
dus, Status Peccati post lapsum, ante Rege-
nerationem. Tertius, Status Restauratio-
nis per Christum. Quartus deniq;, Status
Glorificationis post mortem. Hi singuli Sta-
tus hominis, suos nobis peculiares gignunt
Locos.

Nam in Statu Integritatis, explicanda
venit hominis primæva nobilitas, & cum
primis quidem immortalitas animæ de-
monstranda : & quænam eiusdem Propa-
gatio : hinc Imago D E I in homine : & tan-
dem liberi Arbitrii declaratio ; qualenam
illud & olim fuerit ; hodieq; sit, ac olim rur-
sus quale futurum ?

In Secundo Statu explicandum venit,
quod ubique nobis obvium & intimè infi-
xum est, Peccatum. De quo licet unico
loco